

**1971-07-16 – SS Paulus VI – Epistula ‘Zagabriae Croatiae Capiti’**

PAULUS PP. VI

**EPISTULA AD FRANCISCUM S.R.E.  
CARDINALEM SEPER,  
QUEM LEGATUM DELIGIT  
UT UNIVERSALI CONVENTUI VI MARIOLOGICO,  
XIII VERO MARIANO,  
ZAGABRIA IN IUGOSLAVIA PERAGENDO,  
PRAESIDEAT**

**ZAGABRIA, CROATIAE CAPITI**

Zagabriae, Croatiae capiti, urbi loci natura amoenissimae, ingenuarum artium monumentis, historiae annalibus, decore gentis inclitae, quasi pulchro diademati pulchra adserta germa adiacet Mariale templum, quod vulgato sermone Maria Bistrice nuncupatur. Illic ab antiquis prorsus aetatibus singulari religione excolitur, in affabre sculpta effigie, Deipara Virgo Maria, ad cuius invocandum praesidium pia certatione crebroque numero christifideles singuli et turmatim undique confluunt, ad Matrem omnis gratiae et misericordiae supplices preces fundentes; idque haud irritum contingere solet, cum ibi, largiente Dei munificentia, situs deniscat puteus aquarum viventium, quae decurrunt inexhausto cum impetu (Cfr. *Cant.* 4, 15).

Nos valde gavisi sumus hoc venerandum diligere Sanctuarium sedem Conventus Internationalis mariani-mariologici Zagabriae cogendi, vicibus temporis VI atque XIII. Hunc vero, cum edoceamus concordi nisu ac summa diligentia parari, prosperum exitum assecuturum esse ac spirituali messe fore fecundum haud dubiis indicis prospicimus. His autem celebritatibus, quae ex omni lingua et natione advenarum frequentia et aemulo religionis studio expectantur conspicuae, Nos quoque aliquo modo ut intersimus, te, Venerabilis Frater Noster, Missum Nostrum extra ordinem eligimus, nominamus, constituimus, qui sacris ritibus et coetibus illic habendis praesideas. Probe vero confidimus te pro eximiis animi dotibus, quibus insigniris, honorabile commissum officium digne esse gesturum.

Ob id ipsum operam dabis, ut interpres sensus Nostri illi multitudini in laudem Deiparae Virginis congregatae proferas, veluti audita ab Angelo, verba bona, verba consolatoria (Cfr. *Zach.* 1, 13).

Quid plane et plene suavius atque iucundius quam conscire et usu experiri Matrem haberi aequa potentem ac clementem, ad cuius sinum secure possimus confugere, et quidquid est salutare et congruens necessitatibus ab ea expetere? Talis est Mater Christi, Mater sanctorum, causa universae nostrae laetitiae, gratia plena, benedicta inter mulieres, Maria. «O beata fiducia, o tutum refugium! Mater Dei et Mater nostra: mater Eius, in quo solo speramus et quem solum timemus, est mater nostra; mater, inquam, Eius qui solus salvat, solus damnat est mater nostra» (S. ANSELMUS, *Oratio LII ad S. Virginem Mariam; PL* 158, 957). Mater omnium christianorum rite Maria nuncupatur, quin etiam confidenti, at vera appellatione salutatur «Mater omnium hominum» (S. ALBERTUS MAGNUS, *Mariale*, q. 145-166; Borgnes 37, p. 205 b, 251 b.).

Accedant igitur cum fiducia ad solium gratiae et miserationis Virginis, inter omnes mitis, universi qui sancta limina marialis templi in territorio Zagabiensi petent, atque inde exeant laeti, potioribus donis maternae manus locupletes: rebus adversis conflictati accipient securitatem, inquieti pacem, infirmi robur, sontes veniam, flentes solatium, discordes iustitiae sitim, misere inter se divisi prosperae unitatis consensum; qui autem qualibet ex causa fuerint adversi, recedant diversi, qui quoque tenerrimae Matris facti numquam ulterius immemores filii. Orent etiam pro Nobis ut ministerio Nostro sermo Dei currat et clarificetur (Cfr. *2 Thess.* 3, 1) utque, ubique terrarum, Ecclesia post coortas procellas aeris tenuis serenitate fruatur.

Haec loquere et exhortare, Venerabilis Frater Noster, in abundantia benedictionis Evangelii Christi (Cfr. *Rom.* 15, 29), tuae dilectae patriae civibus.

Haec imo e pectore ominatis, nihil Nobis reliquum est, nisi ut tibi, extra ordinem Misso Nostro Internationali Conventui mariano — mariologico Zagabiensi, et universis qui ei intererunt Episcopis, auctoritate sacra vel civili pollutibus, christifidelibus incolis et advenis Apostolicam Benedictionem, divinarum gratiarum auspicem et pignus, propensa caritate impertiamus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Iulii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.*

**PAULUS PP. VI**